

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3851

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Amand (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1278, février

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, notifie la convention conclue entre l'abbesse et les religieuses de Saint-Amand de Rouen, d'une part, et les abbés et les moines de Notre-Dame du Val et de Royaumont et l'abbesse et les religieuses de Saint-Antoine de Paris, d'autre part, sur la dîme du vin du roi du vicomté de l'eau de Rouen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 917, p. 224.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum contentio verteretur in nostra curia inter abbatissam et conventum Sancti Amandi Rothomagensis, ex una parte, et abbates et conventus Vallis Nostre Domine et Regalis montis et abbatissam et conventum Sancti Antonii Parisiensis, Cisterciensis ordinis, ex altera, super eo quod dicte abbatissa et conventus Sancti Amandi dicebant se habere et habere debere, ex dono clare memorie Guillelmi quondam Anglie regis ac ducis Normannorum, decimam partem admodiationis nostre vini in vicecomittatu nostro aque Rothomagensi generaliter ab omnibus illis qui descendendo per aquam Sequane vina adducunt apud Rothomagum, et quia predicti abbates et abbatissa Sancti Antonii et dictorum locorum conventus vina adduxerant apud Rothomagum de quibus dicte abbatissa et conventus Sancti Amandi decimam admodiationis nostre vini non habuerant, petebant dicte abbatissa et conventus Sancti Amandi a dictis abbatibus, abbatissa et conventibus dictam decimam cum arreragiis sibi reddi, et ipsos ad reddendum eis compelli per manum vicecomitis nostri aque Rothomagi predictis abbatibus, abbatissa Sancti Antonii et conventibus contradictibus et asserentibus quod dicte abbatissa et conventus Sancti Amandi nullam decimam habere debebant de admodiatione suorum vinorum, immo super hoc tuti erant, ut dicebant, per privilegia que ad sui defensionem exhibebant, videlicet abbas et conventus Vallis Nostre Domine per cartam Richardi quondam Anglie regis, et abbas et conventus Regalis Montis et abbatissa et conventus Sancti Antonii per cartas inclite recordationis karissimi domini et genitoris nostri Ludovici, Francorum regis, et insuper dicebant se fuisse in possessione dicte immunitatis per tantum temporis spaciun quod sufficere debebat ad jus sibi super hoc acquirendum, auditis hinc inde propositis, visis etiam cartis et munimentis predictis, adjudicata fuit per judicium nostre curie dictis abbatisse et conventui Sancti Amandi contra dictos abbates, abbatissam et conventus decima admodiationis vini predicta, habenda et levanda per manum vicecomitis nostri aque Rothomagenis de vinis que dicti abbates et conventus et abbatissa et conventus Sancti Antonii per aquam Sequane duci sive vehi fecerunt et facient apud Rothomagum,

quemadmodum generaliter habent ab aliis qui vina adducunt ibidem, et per idem judicium condemnati fuerunt predicti abbates et abbatissa et conventus ad reddendum dictis abbatisse et conventui Sancti Amandi arreragia decime dicte admodiationis de vinis que apud Rothomagum duxerunt per aquam Sequane, postquam lis fuit mota super hoc in nostra curia inter partes predictas. In cuius rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini M^o CC^o LXXmo. septimo, mense febriario (sic).